



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum post diuortium vir & vxor possint reconciliari? 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

ne: potest tamen continentiam vouere viro inuito, nisi videatur Ecclesia decepta fuisse per falsos testes, sententiando de diuortio: quia in tali casu, etiam si eorum professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur reddere debitum, sed non liceret ei exigere. Ad quartum dicendum, quod exceptio illa, quam est in verbis Domini, refertur ad dimissionem vxoris & ideo obiectio ex falso intellectu procedit.

ARTIC. VI.

Vtrum post diuortium vir & vxor possint reconciliari?

260

¶ 1. Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod post diuortium vir & vxor non possint reconciliari. Regula enim est in iure, Quod semel bene definitum est, nulla debet iteratione retractari. Sed iudicio Ecclesie definitum est, quod debent separari. Ergo non possunt reconciliari vterius.

*c. gaude-
mus. ex-
tra de cō-
uers. con-
iugat.*

¶ 2. Præterea, si posset esse reconciliatio, præcipue videretur quod post penitentiam vxoris vir teneatur eam recipere. Sed non tenetur, quia etiam vxor non potest pro exceptione, proponere in iudicio penitentiam contra virum accusantem de fornicatione. Ergo nullo modo potest fieri reconciliatio.

** Al. ex-
ceptione.*

¶ 3. Præterea, si posset esse reconciliatio, videtur quod vxor adultera teneretur redire ad virum ipsam provocantem. Sed non tenetur, quia iam separati sunt iudicio Ecclesie. Ergo, &c.

¶ 4. Præterea, si liceret reconciliare vxorem adulteram, in illo casu præcipue deberet fieri, quando vir post diuortium inuenitur adulterium committente. Sed in hoc casu vxor non potest cogere eum ad reconciliationem, cum iuste sit diuortium celebratum. Ergo nullo modo potest reconciliari.

¶ 5. Præterea, si vir adulter occulte dimittat vxorem conuictam de adulterio per ecclesie iudicium, non videtur iuste factum diuortium. Sed tamen vir non tenetur vxorem sibi reconciliare: quia vxor prope in iudicio adulterium viri non potest. Ergo

Supplementum. Na multo

multo minus quando diuortium iuste est celebratum, reconciliatio fieri potest.

SED contra est, quod dicitur 1. Corinth. 7. Quod si discesserit, manere inuuptam, aut viro suo reconciliari.

¶ Præterea, Vir poterit eam non dimittere post fornicationem. Ergo eadem ratione potest eam post diuortium reconciliare sibi.

RESPONDEO dicendum, quod si vxor post diuortium de peccato penitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare: si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam reassumere, eadem ratione, qua non licebat eam nolentem a peccato desistere, retinere.

Ad primum ergo dicendum, quod sententia Ecclesiæ diuortium celebrantis non fuit cogens ad separationem, sed licentiam præbens: & ideo absque reuocatione præcedentis sententiæ potest reconciliatio fieri, vel sequi.

Ad secundum dicendum, quod penitentia vxoris debet inducere virum vt vxorem fornicantem non accuset aut dimittat: sed tamen non potest ad hoc cogi, nec potest per penitentiam eum vxor ab accusatione repellere: quia cessante culpa & quantum ad actum, & quantum ad maculam, adhuc manet aliquid de reatu: & cessante reatu etiam quo ad Deum, adhuc manet reatus quo ad pœnam humano iudicio inferendam: quia homo non videt cor, sicut Deus.

Ad tertium dicendum, quod illud quod inducitur in fauorem alicuius, non facit ei præiudicium: unde cum diuortium sit inductum in fauorem viri, non aufert ei ius petendi debitum vel reuocandi vxorem. Unde vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit reuocata, nisi de licentia eius votum continentie emiserit.

Ad quartum dicendum, quod propter adulterium quod vir prius innocens post diuortium comittit, secundum rigorem iuris non debet cogi ad recipien-

cum vxorem adulteram prius: tamen secundum aequitatem iuris iudex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ eius, & scandalo aliorum, quamuis vxor non possit reconciliationem petere.

Ad quintum dicendum, quod si adulterium viri sit occultum, per hoc non auferitur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulteræ, quamuis desit sibi probatio: & ideo peccat vir diuortium petens: & si post sententiam de diuortio vxor petat debitum, nec reconciliationem, vir tenetur ad vtrumque.

QVÆST. LXIII.

De secundis nuptijs, in duos articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de secundis nuptijs.

Circa hoc queruntur duo.

Primo, vtrum sint licitæ?

Secundo, vtrum sint sacramentum?

ARTIC. I.

Vtrum secunda nuptia sint licita?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod secunda nuptia non sint licita. Quia iudicium de re debet esse secundum veritatem. Dicit enim Chrysostomus, quod secundum virum accipere, secundum veritatem est fornicatio, quæ non est licita. Ergo nec secundum matrimonium.

Præterea, Omne quod non est bonum, non est licitum. Sed Ambrosius dicit, quod secundum matrimonium non est bonum. Ergo non est licitum.

Præterea, Nullus arceri debet ne intersit illis quæ sunt honesta & licita. Sed sacerdotes arceri ne intersint secundis nuptijs, ut in littera patet. Ergo non sunt licitæ.

Præterea, Nullus reportat poenam nisi pro culpa. Sed pro secundis nuptijs aliquis reportat irregularitatis poenam. Ergo non sunt licitæ.

SED contra est, quod Abraham legitur secundas nuptias contraxisse, Gen. 25.

Præterea, Primæ Tim. 5. dicit Apostolus, Volo.

N B 2 ego

261
Tho. 4. d.
42. q. 3.
ar. 1. et 2
* hom. 32
in Matt.
in opere
imperfe-
cto, to. 2.
et dec. 31
q. 1. c. 9.
† Amb.
in fin. cō-
me. 1. ad
7. c. 1. ad
Cor. ali-
quid de
hoc habet
to. 5.
* lib. 4.
sent. d. 43
S. vit.
† vide Au-
gust. li 16
de Ciuit.
Dei, c. 34
to. 5. et
in lib. de
bono vi-
dualitatis
c. 12.